



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvartum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus IV. De sponsa duorum, & sponso duarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74533)

& in pastoralis, alleg. 32. Diana pluribus relatis, 7. p. tract. 1. resol. 23. Idem dicendum est, quoties contractui præscribitur forma præcisa, sub qua celebratus valeat, & aliter non sustineatur: tunc si forma non seruetur, omnino nullus est, etiam attento jure naturali. Primò quia aliter datus consensus nullus est, secundum leges, quæ illum nullum absolutè reddunt. Deinde quia contrahentes cogitarunt de tali contractu celebrando, & non de alio negotio; quare si non valet ut talis contractus, non potest sustineri ut simplex conventio, ut pro expositione legis 1. §. si quis 2. ff. de verb. obl. docuerunt tres magistri Primarii nostri, Valentia lib. 2. Illustr. tract. 3. cap. 4. à princip. D. Ramos in l. juris gentium, §. sed cum nulla, ff. de pactis, D. Retes in tract. de obligatione naturali, inspect. 2. num. 21. Nec obstat, Ecclesiam non posse mutare quæ sunt juris naturalis, præcipuè sacramenta, ut supra probavi pro ratione dubitandi. Quæ difficultas aded gravis est, ut plures PP. in Concil. Trident. putaverint, Ecclesiam non posse irritare matrimonia clandestinè recepta, ut refert Spondanus in continuat. Baronii, anno 1563. num. 39. Sed dicendum est, sine ulla mutatione juris naturalis potuisse Ecclesiam irritare matrimonium clandestinum, reddendo inhabiles personas, quæ ipsius jurisdictioni subsunt: & licet mutare non possit materiam sacramentorum, reddendo nullam, vel illegitimam, quæ à principio fuerat legitima; potest tamen hoc facere in contractibus, qui magna ex parte pendent ab actionibus moralibus, quas Ecclesia in suis subditis impedire potest. Unde cum matrimonium incipiat à contractu, potuit Ecclesia ejus materiam mutare, & per consequens impedire sacramentum. Nec substantialia sacramenti mutata fuerunt, veluti materia & forma, & minister, quod Ecclesia facere non posset, & ideoque ea multò minus fecit: sed quia con-

trahentium consensus in contractu, qui ad rationem sacramenti elevandus est, potestati Ecclesie subditur, ut Principi sæculari, subjicitur in contractu merè sæculari, aliter præstitum consensum nullum declaravit: quo fulero subducto, & deficiente consensu, qui est matrimonii radix in esse contractus, deficit & contractus, & per consequens sacramentum. Deinde ut lex civilis quasdam personas inhabiles reddit ad contrahendum ex justa causa, quam prævidet, et si non sit merè naturalis: sic lex Ecclesiastica potuit inhabiles ad contrahendum reddere eos, qui nolunt matrimonium contrahere coram parochia & testibus: sic Sanchez ubi proxime, noster Basilii, parum in effectu discrepans, licet dissentire voluerit, lib. 5. de matrim. cap. 4. alii, quos sedulo refert Barbosa de officio parochi, cap. 21. & de potestate Episcopi 2. part. alleg. 32. Diana part. 7. tract. 1. resol. 23. & sequent. Dartis in 30. quest. 5. Nec obstat augmentum dubitandi rationis deductum ex dicta lege non dubium, C. de legibus, pro cuius solutione discrimen est constituendum inter eum casum in quo lex tantum aliquid prohibet pœnâ statutâ, & inter eum, in quo irritat actum in contrarium gestum. Primo casu actus de facto celebratus subsistit, in l. 1. C. de secundis nupt. secundo verò casu ipso jure nullus est, ut in l. 4. l. 6. C. de incestis nuptis, l. unie. Cod. si qua unquam præditus, l. unie. C. de inter d. matrim. l. eum qui 18. Cod. ad l. Jul. de adult. docent Arnoldus Vinius lib. 1. select. cap. 1. Hunnius ad Treutl. volum. 1. disp. 6. q. 54. & disp. 11. quest. 28. Caldeira lib. 2. de error. cap. 1. Unde licet matrimonium clandestinum prohibitum esset in præfenti textu, & aliis supra citatis, tamen eum pœna tantum appositâ esset, non verò clausula irritans adjecta, ideo matrimonium de facto celebratum valebat, usque dum per Concil. Trident. irritum declaratum fuit.



TITULUS IV.

De sponsa duorum, & sponso duarum.

CAPUT I.

Augustinus (a) De fide pactiois & consensus.

DUOBUS modis dicitur fides pactiois, & consensus: si aliquis alicui mulieri fidem fecerit pactiois, non debet aliam ducere; si aliam duxerit, pœnitentiam debet agere de fide mentita: maneat tamen cum illa, quam (b) duxit; non enim rescindi debet tantum sacramentum. Si autem fecerit fidem consensus, non licet aliam ducere: si autem duxerit, dimittit ipsam, & adhærebit uxori priori. Est autem fides pactiois, quando aliquis (c) promittit alicui fidem, quod eam ducet, si permisit ei rem secum habere, vel etiam pro consensu: fides autem consensus est, quando etiam non stringat (d) manum, corde tamen & ore consentit ducere, & mutuò se concedunt unus alii, & mutuò se suscipiunt.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. (a) **A**ugustinus.] Ita etiam legitur in 1. collect. sub hoc titul. cap. 1. & in cap. fin. 27. q. 3. Sed inter opera Magni Doctoris Augustini non reperiri verba hæc, jam notarunt Cujac. & Ant. Augustinus in presenti: quare vel sunt alterius Augustini, vel ipsius Doctoris, sed in opere nondum excuso.
2. (b) **Quam duxit.**] Quia sponsalia de futuro solvuntur per matrimonium de presenti, ut exposui supra in cap. de spons.
- (c) **Promittit.**] De futuro videlicet, ut probavi in cap. de spons.
3. (d) **Stringat manum.**] Non solum apud Hebræos, verum etiam apud Gentiles manus dextras conferebant, qui matrimonio jungebantur, ut liquet ex cap. 7. Tobia, & ex Xenophonte lib. 3. rer. Græcav. Unde Claudianus in epitalamio Palladii & Sirena:
- Tu dextram complexa viri, dextramque puella
Tradis, & his ultero sancis connubia dictis:
Vivite concordés, & nostrum discite munus.
- Tertul. lib. de veland. Virginitibus, ibi: Si autem ad desponsationem velantur, quia & corpore, & spiritu masculo mixta sunt per osculū & dexteras, per que primum resignant pudorem spiritu. Vete-

res enim, ut inquit Suidas, in pactis conventis oscula præbere, & dextras porrigere solebant, quia hoc, ut ait Tertul. in lib. de præscript. signum est concordia & fidei: unde Aristophanes agebat: *Oscula me, & porrige dextram.* Hinc illud Ciceronis lib. 7. epist. ad Atticum, ibi: *Vbi sunt ille densa dextera?* Donatius ad illud Terentii in Andria, ibi: *Hanc in manu dat;* scribit legitimas nuptias per manus conjunctionem confirmari. Inde apud Romanos matrimonium celebratur per conventionem in manum, ut probavi supra in cap. 2. de sponsalibus. Veteres enim, vel in amicitia concilianda, vel in foedere incundo, vel in adstringenda fide dextras jungere solebant, ut ex Eustachio, Aristophane, & aliis probat Dionis Salvagnius ad Ovidium in Ibin, vers. 527. rationem assignarunt Servius ad lib. 2. Aeneid. his verbis: *fungere dextras majorum salutationem fuisse.* Cujus causam asserit Varro, Callimachum sequutus, asserens: *Omnes eorum honorem dextra constituisse virtute;* Quamobrem hac se venerabantur corporis parte. Plinius lib. 11. histor. cap. 14. Inest, inquit, & albis partibus quadam religio, sicut dextra oculis, aver-sa appetitur, in fide porrigitur. Latè illustrarunt Philipp. Camer. hor. success. cent. 2. c. 46. Mendoza in Viridario lib. 8. Saturn. cap. 3. & nos aliqua diximus in cap. final. de jur. calum.

CAPUT II.

Ex (a) Burch. lib. XIX.

Accepisti illam uxorem, quam alter sibi desponsatam habuerat, dimitte illam, quia nunquam potest tibi fieri legitima: & XL. dies in pane & aqua, quod (b) carenam vocant, cum VII. sequentibus annis pœniteas.

NOTÆ.

1. (a) **B**urchardo lib. 19.] Titul. de fornicatione, But habetur in 1. collect. sub hoc titul. cap. 9. Sed rectius ex Pœnitentiali Romano, titulo de fornicatione, ubi reperitur textus hic, & à quo transcriptus illum Burchardus. De autoritate ipsius Pœnitentialis, plura congessit Saufay in Panopl. sacerdot. cap. 1. lib. 7. in appendice, §. 32. De Decreto Burchardi nonnulla adduxi in apparatu ad hæc commentaria.
2. (b) **Carenam.**] Lepida est hujus vocis interpretatio Glossæ in presenti, quæ quam sequitur Oldendorpius. Vulgare, inquit, est Itolorum, aliàs Longobardorum: & dicitur Carena, à carentia hominum, vel etiam cibariorum; nam in illis 40. diebus includuntur in aliquo loco secreto juxta Ecclesiam, ubi non habent consortium hominum. Contius carenam sic dictam putavit, quasi caninam, quod pane & aqua vescerentur, non ut ceteri homines, aliis cibis. Filefacus de Quadrage. cap. 4. corruptam vocem esse existimat, ita ut quadragesima derivata sit, à qua formatæ sunt voces, populo ita balbutiente, *Carentena, Carena, & Carina;* olim enim propter graviora crimina ceperunt laicis injungi solennes pœnitentiæ, cap. penult. & ultimo, §. 50. distinct. cap. fin. 26. q. 6. dicemus latè in cap. 1. de pœnit. & illi quibus injungebatur pœnitentia per 40. dies, jejunare in pane & aqua tenebantur, & hæc pœ-

nitentia dicebatur *Carena*: quo modo accipitur passim in Pœnitent. Romano, & in can. 17. & 19. Concilii Salegust. apud Ivonem p. 15. Decreti, cap. 183. & 185. & in cap. accusasti, de accusat. apud Alexandrum II. in epistol. ad Clerum Vulturmiensem, relatum ab Ivone p. 10. Decreti. c. 16. apud Cæsarium lib. 4. cap. 37. Miles quidam Bon-nensis, Henricus nomine, tempore quodam quadragesimali carenam fecit apud nos. Et lib. 5. cap. 42. meminit quorundam qui peregrinati sunt in Sanctum Remigium, & de uno illorum ita ait: *Cum alter quidam miles, Gundolphus nomine, vir nobilis, de villa Esselingen oriundus, suscepta carena, tempore Capituli Generalis Cistercium: ire proponeret.* Etiam dicitur bannitum jejunium, ut notarunt Severinus Binius in not. ad Concil. Salegust. Zerda in advers. cap. 44. num. 8. Ant. August. in not. ad pœnitent. Roman. tit. 1. cap. 34. Acuna in cap. qui vero. §. 50. distinct. Saufay in panopl. sacerdot. lib. 7. p. 1. §. 32. Julius Lavourus de Jubileo. p. 2. cap. 10. num. 37. Theoph. tom. 10. in Rosa meridiana, pag. 475. à Theutonicis vocem hanc cepisse docetur in Pœnitent. Roman. tit. 2. de homicidio, cap. 34. ubi ita legitur: *Ita faciendum est tibi, ut pro psalmista 40. dies in pane & aqua, quod Theutonico carena vocatur, cum septem sequentibus annis pœniteas.* Et ita carena in presenti propriè accipitur pro jejunio 40. dierum.

COMMENTARIUM.

3.
Conclusio
tradiur
& proba-
tur.

EX his duabus decisionibus sequens deducitur assertio: *Contrahens matrimonium vivente prima uxore, relicta secundâ, cum priore cohabitare debet, & publicè in Ecclesia penitentiam facere.* Probat eam textus in Concil. Nicano. *can. 24. ibi: Nemo debet duas uxores ducere; & qui hoc fecerit, si fuerit sacerdos, prohibeatur ministerio sacrificandi, & communione fidelium, quousque eiciat domo secundam, & debet reinere primam.* Et *cap. an non 24. q. 3. cap. de conjugali 27. q. 2. cap. cum per bellicam, cum quatuor sequentibus 34. q. 1. cap. videtur 35. q. 6. cap. gaudemus, de divortiiis.* Synodus Romana sub Eugenio II. & Leone IV. *can. 37. ibi: Nulli liceat nullo tempore duas habere uxores.* Joannes VIII. *epist. 198. jubemus, ut nullus propriam relinquat uxorem, & illâ vivente alteram sibi sociare præsumat: nec liceat ei nullo tempore duas habere uxores.* Nicolaus I. *ad consulta Bulgar. cap. 51. ibi: Duas tempore uno habere uxores, nec ipsa origo humana conditionis admittit, nec lex Christianorum illa permittit.* D. Ilidorus *lib. 2. de offic. Eccl. cap. 19. ibi: Quod autem non unus & multe, sed unus & una copulantur, ipsa prima divinitus facta conjunctio in exemplum est.* Ambros. *lib. 1. de Abrahamo: Quia non licet tibi uxore vivente uxorem ducere.* Canon. 48. *Apost. Concil. Illiberit. can. 8. Trid. sess. 24. de reform. matrim. in princip. & cap. 2. l. 1. ff. de his qui norant. infam. l. 2. C. de incest. nupt. l. qui duas 8. C. ad l. Jul. de adult. s. affinitates, Insti. de nuptiis. l. 4. C. quorum appell. in Theodos. Illustrat ultra congestos in præsentia Barbosa, Bellarminus tom. 2. contr. lib. unic. de matrim. cap. 10. Transmira de polygam. q. 6. cum sequent. Basil. lib. 7. de matrim. cap. 49. Kochier in face histor. cent. X. cap. 81. Ju-Cellus in notis ad canones Eccl. univers. fol. 191. Petrus Gregor. lib. 1. partit. tit. 5. cap. 2. Vighel. in method. jur. Canonici, fol. 460. Torreblanca de jur. spirit. lib. 2. cap. 15. sect. 3. Fornerius lib. 2. rer. quotid. cap. 22. & 23. Grotius de jure bel. lib. 2. can. 5. num. 19. Ambian. ad Tertul. de exhortatione castit. cap. 5. & de monogamia passim, Jodocus Coecius tom. 2. thesauri, lib. 9. art. 2. Ant. Augustinus in epitom. jur. lib. 29. tit. 28. Baronius in apparatu, num. 65. & anno 120. num. 30. & anno 170. num. 11. Mendoza lib. 2. Concilii Illiber. in can. 10. Fragolo de regim. Christ. Reipub. p. 3. lib. 1. disp. 27. §. 4. Aloix in notis ad vitam sancti Polycarp. cap. 4. Hunnius in encyclop. tit. 10. Wisembach. disp. 6. Gazeus in not. ad Cassianum collat. 17. cap. 12. Bronchorst. miscell. cent. 1. asserit. 99. Costanus de sponsal. fol. 2. & 37. Arniseus de jure connub. cap. 4. P. Faber lib. 3. semest. cap. 21. Borel. tom. 2. decis. tit. 1. num. 16. Beyerlinck in Theatro, verbo Matrimonium, Villadiego in l. 2. tit. 6. lib. 3. fori, Didacus Perer. in l. 3. tit. 1. lib. 5. Ordin. Matienzo in l. 5. tit. 1. lib. 5. Recopil. gloss. 1. Antonius Matthæus de crimin. ad lib. 48. Pandect. tit. 7. num. 3.*

4.
Impugna-
tur tradita
assertio.

Sed hæc assertio ita illustrata difficilis redditur ex eo, quod in sacra pagina satis proditum est, Patriarchas, & alios sanctissimos viros plures uxores habuisse uno eodemque tempore; siquidem Abraham habuit Saram, Agar, & Cethuram, *Genes. cap. 16. & 25.* Jacob Liam, Rachel, Balam, & Zelpham, *Genes. cap. 29. & 30.* Helcana, Annam, & Pheneman, *l. 1. Regum,*

*cap. 1. Moyse Æthiopiissam, & Sephoram, Exodi cap. 2. Numer. cap. 12. David sex uxores habuit, & concubinas decem, lib. 2. Regum, cap. 3. & 20. Salomon uxores septingentas, & concubinas trecentas, lib. 3. Regum, cap. 11. Abias uxores quatuordecim habuit, lib. 2. Paralip. cap. 13. Gedeon plures habuit, ut refertur cap. 8. Judicum. Eodem usum polygamie apud varias nationes invaluisse facile constat; siquidem apud Thraces tribus, aut quatuor, immò triginta uxoribus copulari mos erat, ut testatur Heraclides de Getulis Libya populis. Idem de Judæis refert Josephus lib. 17. antiquit. cap. 2. Arniseus disp. 4. sect. 3. ubi subjicit Herodi uxores eodem tempore fuisse novem: apud Numidas & Mauros quisque pro opibus quamplurimas uxores habet: nec dissimilis consuetudo in Africa circumfertur, si Herodoto, Diodoro, & Josepho credimus; ibi: *Paternos mos erat, ut simul plures haberemus uxores.* Idem de aliis pluribus nationibus refertur Tiraquel. in l. 7. connub. Alex. ab Alex. lib. 1. dier. gen. cap. 24. Menochius lib. 2. de arbit. centur. 5. num. 420. Malvenda de Antichrist. lib. 6. cap. fin. Beyerlinck tom. 2. verbo conjugium. P. Greg. lib. 10. synag. cap. 1. Transmira de polygam. q. 9. cap. 1. per totum, & Imperatorem Valentinianum alteram duxisse uxorem priore superstitè, nec repudiatâ; & ut levius possit videri facinus à le perpetratum, legem tulisse per quam cuivis liceret duas simul habere uxores, refertur Socrates lib. 4. cap. 26. Paulus Diaconus lib. 1. cap. 2. ibi: *Dudum laudante uxore sua pulchritudinem Justine, sibi eam sociavit in matrimonio, legesque propter illam concepit, ut omnes qui voluissent impune bina matrimonia susceperent.* Ex eis probat Bordeaux ad Tacitum lib. 11. fol. 599. Ergo non rectè in præsentî docetur, nemini licere uno, eodemque tempore duas simul habere uxores.*

Qua difficultate non obstante vera est præfens assertio, pro cuius expositione sciendum est, le-^{5.} Polygamia
gem Monogamie, non solum juris positivi, cano-<sup>est prohibi-
ta à jure
divino.</sup> nici, & civilis esse; verum & à jure divino venire, ut constat ex *cap. 2. Genes. vers. 24. ibi: Relinquit homo patrem suum, & matrem, & adhaerebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Et *cap. 19. Matthæi, vers. 4. ibi: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculinum, & feminam fecit eos, & dixit, propter hoc dimittit homo patrem, & matrem, & adhaerebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Quæ verba in alium sensum retorquenda non sunt, ut nervosè contendit Cajetanus exponens illa verba D. Pauli I. ad Timoth. cap. 3. *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum;* cum eo in sensu a Patribus Ecclesiæ communiter accipiantur. D. Chrysostr. homil. 63. in Mattheum, ibi: *Verum etiam, quia iussit, quod unus viri conjugatur; nam si voluisset alteram etiam duci uxorem, unum viro creato multas conformasset mulieres: audi quomodo dicit, qui fecit à principio masculinum & feminam.* D. Hieronymus in eodem cap. 19. Matthæi, ibi: *Hoc in exordio Genes. scriptum est, dicendo masculinum & feminam; non enim ait, masculinum, & feminas; quod priorum repudio quaerebatur: sed masculinum & feminam, ut unius conjugis consortia necerentur; & dixit, adhaerebit uxori suæ, non uxoribus.* Theophylactus ibidem: *Ostendit opus & legislationem ejus, qui nos à principio formavit, esse monogamiam, ab initio unum conjunxit Deus uni, atque ita non oportet unum virum conjungi multis.* D. Ambrosius, Proiper
Aqui-

Aquitanicus, Tertullianus, & alii quos refert Jo-
docus ubi supra : & D. Paulus cum de matri-
monio agit, semper loquitur de conjugibus in
numero singulari, ut *epist. 1. ad Corinth. c. 7. vers. 2.*
ibi: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem*
habeat, ut unaqueque suum virum. Et vers. 27.
Alligatus es uxori, noli querere solutionem. Et ad
Roman. 7. vers. 3. vivente viro vocabitur alterutra,
si fuerit cum alio viro. Et 1. ad Corinth. cap. 7. vers. 10.
lis autem, qui matrimonio juncti sunt precipio, non
ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere:
quod si discesserit, manere imputam, aut viro suo
reconciliari. Et vers. 39. Mulier alligata est legi,
quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit
vir ejus, libera est à lege; cui vult, nubat. Unde
infertur, nec summum Pontificem posse in hac
impedimento dispensare, ut pluribus relatis
docet Leander de matrim. disp. 18. q. 8. & 9.

6.
De eadem
prohibiti-
one ex jure
positivo.

Jure etiam civili polygamiam, polyviriamque
prohiberi certum est; nam apud Athenienses
Cecropis lege sancitum fuit, ut una demum el-
set unius uxor, auctore Athenæo lib. 13. *dypno-*
soph. ubi obiter etiam eorum sententiam notat,
qui Socrati duas uxores fuisse crediderunt, in
quorum numero Aristotelem existisse scribit
Diogenes lib. 2. *Illustr.* Samuel Petrus ad *ius*
Africanum lib. 6. tit. 1. Romanetiam Judæis, & aliis
polygamiam prohibuerunt, l. nemo, C. de *Judæis*,
Novel. 79. *Instit. §. affinitatis, Instit. de nupt. l. 2. C.*
de incest. nupt. l. 18. C. de adulterio; quinimò si quis
binas nuptas in eodem tempore constitutas ha-
buisse, notabatur infamia, ex Prætoris edicto,
l. 1. ff. de *his qui not. infam. l. 2. C. de incestis nupt. l.*
eum qui 18. C. ad l. Jul. de adul. l. si mulier, ff. de jur.
dotum, l. ea que, C. de donat. ante nupt. Illustrant
Dorleans ad Tacitum lib. 11. fol. 599. Grotius lib. 2.
de *jure belli. cap. 5. num. 9. Fornerius lib. 6. rer.*
quorid. cap. 22. & 23. facit lex ut ex fratribus, ff. de
condit. inst. juncto Pinello lib. 2. select. cap. 5. Theodoret
in 1. ad Timoth. Olim pagani, & Judæicum
duabus, tribus, & pluribus uxoribus conjungeban-
tur lege matrimonii; nunc vero leges Imperatorie
prohibent duas, simul habere uxores. Rerum sua-
rum amissione plecebantur ex Athalarici Regis
edicto apud Cassiodorum lib. 9. epist. 18. & ita
contrahentem secundas nuptias adulterii pœ-
nisteneri docuerunt Menochius de arbit. lib. 2.
casu 420. Theophilus in d. §. affinitatis: immodò
& stuprum perpetrare, constat ex d. l. eum qui
duas, & defendit Antonius Matth. de crimin. ad
lib. 43. Pandect. tit. 3. licet verò judicio publico
polygami non damentur, tamen quia lex fa-
ctum notat, & ipso jure sunt infames, d. l. eum qui
testimonii, dictionem non habent aliter atque
fures, & raptores, quorum testimonia recipiun-
tur, nisi sententiâ judicis sint condemnati. l. 5. ff.
de his qui notant infam. l. palam. §. que in adulterio,
ff. de rit. nupt. Novissimè sanè mortis pœnam in
Germania sancivit Carolus V. constit. crimin. art.
121. refert Collerus decis. 176. num. 78. Apud
Frigios fustigatio imponitur cum relegatione.
Ant. Matthæus ubi supra: apud nos variæ pœnæ
legibus patriis statuta fuerunt in l. final. tit. 17.
part. 7. l. 2. tit. 7. l. 4. fori, l. 6. tit. 15. lib. 8. ordin. Et
olim usitata fuit ea pœna, ut candenti ferro in
fronte imprimeretur secundò nubentibus littera
P: quamvis enim in d. l. 3. tit. 1. lib. 5. ordin. l. 5.
tit. 1. lib. 1. Recopil. dicatur inurendam esse litte-
ram Q, credo tamen erroretypographi, inverfo

modo Q pro P, positum fuisse, & Reges nostros
statuisse, ut prima littera hujus delicti polyga-
miæ, quæ est P, inureretur frontibus eorum, ut
ex lege Rhemnia calumniatori littera K, furi lit-
tera F. inurebantur, ut dicemus infra in *cap. ad*
audientiam, de crimine falsi: quamvis non insub-
tiliter Covarr. in 4. 2. p. cap. 7. §. 3. Didacus Perez
p. 2. in d. l. 6. ordin. Gomez in l. 80. *Tauri, num. 27.*
Vela de delictis cap. 7. ex eadem ratione pro litte-
ra P, legant B. Hodie tamen cum delictum hoc
puniatur ab Inquisitoribus hæreticæ pravitatis,
rei hujus criminis in publicum ducuntur fugge-
stum; ubi levem abjurant suspicionem, mitrâ
infami capiti eorum impositâ; fustibusque cad-
duntur, & ad tritremes per quinquennium
damnantur. Romæ verò abjurant de vehementi,
& torturæ subjiciuntur; quia cum permix-
timibi habitent Catholici cum hæreticis, ma-
ior datur suspicio, an male fenserint de Sacra-
mento, putaverintque licere Christiano duas si-
mul habere uxores. Quæ ratio cum cesserit in his
Hispaniarum Regnis, idèò nec torturæ subji-
ciuntur super intentione, nec jurant de vehe-
menti, sed de levi: circa praxim verò, & modum
procedendi in his causis, adeundus est omnino
Transmira in tractatu de polygam. & polyviria.
Illud omnino observandum est, hujus delicti
punitionem privativè pertinere ad Inquisitores
hæreticæ pravitatis, nec judicem laicum, vel
Ecclesiasticum de eo cognoscere posse, ut latè
probant Scaccia de judicis lib. 1. cap. 12. num. 55.
Farinacius de hæresi q. 68. §. 1. & 9. Soufa in apho-
rism. Inquisit. lib. 1. cap. 2. num. 7. Carena de officio
Inquisit. 2. p. tit. 14. de judicis, §. 17. & tit. 12. de
sortilegiis, §. 15. Transmira de polygam. 3. p. q. 1.
Thomas Delbene de officio Inquisit. 2. p. dicit. 209.
Ratio est, quia cum ex hoc delicto oriatur sus-
picio vehemens, vel levis, saltè hæresis, & hæc
suspicio non tollatur nisi per abjuracionem, cap.
ad abolendam, §. illos quoque, de hæreticis, cap. su-
per eo, cap. accusatum, eod. tit. in 6. & hæc abjura-
tio debeat fieri coram Inquisitoribus, quia ipsi
sunt judices privati, non solum contra hære-
ticos, verum & contra suspectos etiam leviter
in fide, cap. accusatus, in principio, cap. ut officium,
de hæreticis in 6. Farinacius de hæresi, q. 186. §. 3.
Paramus de origine Inquisit. lib. 3. q. 10. num. 97.
Diana p. 4. tract. 8. resol. 4. Carena 2. p. tit. 9. §. 2.
Soufa de solicit. tit. 2. cap. 1. num. 2. & committen-
tes hoc delictum polygamie sint suspecti de fi-
de, quia malè videntur sentire de Sacramento
matrimonii, ut docent Menochius de arbit. ca-
su 420. num. 214. Ricciulus de jure person. cap. 11.
lib. 5. num. 19. Barb. de potest. Episc. 1. p. allegat. 40.
Covarr. de sponsalibus 2. p. cap. 7. §. 3. num. 6.
Didacus Perez in l. 3. tit. 1. lib. 5. ordin. Gutierrez
lib. 2. pract. q. 8. Gomez in l. 8. Tauri, num. 30.
Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 80. num. 1. Boba-
dilla lib. 1. polit. cap. 17. num. 152. Matienzo in
l. 5. tit. 1. lib. 5. Recopil. gloss. 2. num. 3. idèò judex
laicus de hoc crimine cognoscere nequit. Acce-
dit consuetudo generalis Hispaniæ, juxta quam
tantum Inquisitores cognoscunt de hoc crimine,
ut testantur Decianus lib. 5. tract. crimin. cap. 17.
num. 41. Cantera qq. crimin. de adulterio, num. 28.
Narbona in l. 20. tit. 1. lib. 4. recopil. glossa 12.
num. 66. Alfaro de officio fiscalis, gloss. 20. n. 398.
Diana tom. 4. tract. 7. resol. 4. Transmira d. lib. 3.
q. 1. Facit declaratio summi Pontificis, quam re-
ferunt

ferunt Soufa in *aphorism. lib. 1. cap. 35. num. 18.*
Diana d. *iracl. 7. resol. 4. §. 1. Transmira d. lib. 3.*
q. 1. num. 3.

7.
Traditur
ratio deci-
dendi.

Ratio verò, quare tot legibus ecclesiasticis, & civilibus improbata sit polygamia, provenit ex eo; nam talis pluralitas repugnat fini matrimonii, si enim vagus esset concubitus, incerta quoque, & vaga esset proles; immò nec domestica societas sustineri posset, cum multa essent capita unius corporis mystici; nam etsi unus dominus commodè possit habere plures servos, unus tamen servus pluribus dominis servire commodè non potest, ut egregiè docet D. Augustinus *lib. 3. de doctrin. christ. cap. 12. & de bono conjug. cap. 17.* turbaretur ergo proculdubio in pluralitate uxorum tranquillitas, & pax domesticæ Reipublicæ; uxor namque societas est, non famula, & in domestica gubernatione principatum habens, ut considerat Chrysostr. in *epist. ad Ephesios, homil. 20.* Omnis autem principatus, ut pax fervetur, suam naturam singularitatem amat. Probat Augustinus. *de bono conjugali contra Iovinianum, cap. 17.* facile enim inter ipsas uxores invidia rixas produceret, ut de uxoribus Abraham Sara & Agar scriptum est *Genes. 16.* de Lia & Rachele *Genes. 30.* de Anna & Phenena *1. Regum. 1.* Prudenter ergo refert Gell. *lib. 1. nocturnum, cap. 17.* respondisse Socratem Alcibiadi interroganti, cur duas ferret in domo uxores, his verbis: *Hæc me domi docent tolerantiam, quæ in publico utendum est.* Quod etiam retulit Gel. de Euripide in *Andromache.* Accedit, nam qui contrahit secundum matrimonium vivente conjugæ, nulliter contrahit, si quidem non potest tradere potestatem sui corporis, quam non habet, juxta illud D. Pauli *1. ad Corinth. 7. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Unde polygamiam probum esse à natura docuerunt D. Thomas in *4. distinct. 33. q. 1. art. 1.* ubi Richardus, Paludanus, & Sotus Bellarminus *lib. 1. de matrim. cap. 11.* Victoria in *relect. de matrim. 1. p. num. 3.* alii quos refert Araujo in *decis. moral. disp. 11. q. 1.* quæ sententia accipienda est cum Thoma Sanchez *d. disp. 80. num. 8.* Basilio *lib. 7. de matrim. cap. 49.* Grotio *de jure belli lib. 2. cap. 5.* in polyviria, cum pluralitas uxorum repugnet fini primario matrimonii, qui consistit in liberorum procreatione, quæ omnino cessat, si uni uxori plures adhareant viri: polygamiam verò veriùs credo esse contrariam juri divino, & rationibus proximè expensis, non verò naturæ ipsius matrimonii, cum non ita ejus fini primario repugnet, ut unus vir plures uxores habeat: unde apud varias gentes polygamiam invaluisse supra probavi in ratione dubitandi, non verò polyviriam.

8.
Dissolvitur
dubitandi
ratio.

Nec obstat dubitandi ratio supra expensa, quæ moti hæretici antiqui, inter quos Hermogenes, contra quem scripsit Tertul. polygamiam probarunt; quippe cum Mahometæ sustinebant tot uxores licere ducere, quot unusquisque facultatibus suis sustentare posset, ab his steterunt nostri temporis novatores, inter quos in Germania Lutherus, in Gallia Calvinus, qui polygamiam ad pelvim usque tuerentur. Sed his erroribus omissis, quos doctè refellit Bellarminus *ubi supra*, ut de fideli populo, idest unum verum Deum colente agamus, disquirendum est, an omni ævo polygamia apud Hæbræos fuisset

permisa, vel prohibita? Et certè à mundi exordio usque ad diluvium, nec Adam, nec ullus alius præter Lamech plures uxores habuit. *Genes. cap. 4. vers. 29.* qui idcirco reprehenditur à Nicolao Papa, vocaturque adulter in *cap. an non 24. q. 3.* Post diluvium tamen cum pauci essent homines, & vita humana multum abbreviata, ex dispensatione divina fuit lex illa monogamiæ abrogata, aut relaxata, & polygamia hominibus concessa, tum ad multiplicationem generis humani, tum ad propagationem populi fidelis, & cultus divini, qui in sola familia Abrahamæ, ac deinde in populo Israelitico residuus fuit, & ita pro consuetudine Hæbræorum id receptum fuit, ut sensit Joseph. *lib. 17. antiq. cap. 2.* & exponunt D. Augustinus in *cap. obijciuntur 32. q. 4. D. Hieronymus epist. 83.* Chrysostr. *homil. 36. in Genesim.* Salvianus *lib. 2. ad Eccles. Cathol.* Joannes Sarisbar. *lib. 4. Polycrat. sive de nugis curial. cap. 5.* Tertul. *de exhortat. castit. cap. 6. & de monog. cap. 6. & 7.* Justin. Martyr. in *dialog. Triphon.* ac ut sæpe repetit D. Augustin. *contra Faustum cap. 47. & lib. 3. de doctrin. christiana: Quando mos erat, crimen non erat, & nunc propter ea crimen est, quia mos non est.* Explicat I. Dartis in *32. q. 4.* ut in exemplis supra relatis. Sed hanc polygamiam licentiam, & libertatem genere humano jam satis propagato Christus Dominus planè abolevit, primamque illam monogamiæ legem primis parentibus inspiratam restituit, & renovavit, *cap. 19. Matthei: prosequuntur latius Spondanus in annal. sacris, fol. 108. Becanus in analog. cap. 16. q. 10. & cap. 21. conclus. 3. Pater Menoch. lib. 2. polit. cap. 28.* Balboa in *cap. gaudemus, de divortis, ex num. 19.* Fragofo *p. 3. de regim. Christiane Reipublice, disp. 22. §. 4. ad finem.* Arnisæus *de jure connub. cap. 4. sect. 2.* & in hac lege prohibente pluralitatem uxorum, rectè potuit cum Hæbræis Dominus dispensare, quoniam hæc prohibitio non est de primis principiis legis naturalis, seu de conclusionibus illis proximis, sed de remotioribus præcipuè; nam hæc non est propriè dispensatio, sed impropriè, nimirum per mutationem materiæ jure supremi domini; nam incommoda, quæ ex pluralitate uxorum naturaliter oriuntur, potuit ipse Deus suâ providentia prævenire, & tollere.

Præsentii assertioni opponi solent textus in *cap. uxor 33. q. 2. cap. si qua mulier 31. q. 1. cap. quædam* Exponitur *dam, cap. qui dormierit, cap. concubivisti, cap. si l. commu. nis 7. §. 8.* quis cum Noverca *27. q. 2. c. quod proposuisti 32. q. 7. ff. communi divid. 7. cap. 50.* & de eis egi in *can. 9. Concil. Illiber. quare illis omissis expendo contra supra tradita textum in l. communi 7. §. item 8. ff. comm. divid. in illis verbis: Ergo etsi duo ventres, idem erit dicendum. Ex quibus deducitur, posse dari casum, in quo quis decedat cum duabus uxoribus legitimis simul prægnantibus: ergo quia polygamia non est omni jure prohibita. Pro cuius textus expositione sciendum est, quod cum jure civili Romanorum matrimonium divortio dirimeretur, *l. 1. ff. de divortis* licebat superstite quoque conjugæ ad alia vota transire, *l. nupta, in princip. l. penult. §. uxor, l. cum vir 25. ff. de con. dit. & demonst. l. mulier 22. ff. ad Trebel.* licet uxori non liceret intra annum alteri nubere, ne quæ de prole dubitandi daretur occasio, *l. consensu 8. §. hac nisi, C. de repudiis: latè illustrat Fornet. lib. 6. rer. quotid. cap. 13. per totum: unde in d. §. idem 8. evenire**

evenire poterat, ut quis cum duabus uxoribus cta: alios casus prosequitur Faber in ejus textus prægnantibus decedat, & secundâ legitime du- rationali.

CAPUT III.

Alexander III. (a) *Salernitano Archiepiscopo.*

Licet præter solitum, & amplius solito multis simus & magnis negotiis præpediti, & ita quod non sit nobis facile aliquorum consultationibus respondere, illâ tamen speciali gratiâ, quam ad personam tuam habemus, & fraternâ cogimur charitate, quid sentiamus de his, super quibus nos consulit dil. tua, præsentibus litteris aperire. Consulisti nos siquidem, utrum si inter virum & mulierem, præstito, vel non præstito juramento, legitimus consensus intervenerit de præsentibus, copulâ carnali non subsequutâ, liceat mulieri alii nubere, vel si nupserit alii, & carnalis fuerit copula subsequuta, an ab ipso debeat separari? Consultationi tuæ taliter respondemus, quod si inter virum & mulierem legitimus consensus interveniat de præsentibus, ita quidem quod unus alterum in suum mutuo consensu, verbis (b) consuetis expresso recipiat, utroque dicente, Ego te accipio in meam, & ego accipio te in meum; sive sit juramentum interpositum, sive non, non licet mulieri alii nubere; & si nupserit, etiam si carnalis copula sit secuta, ab eo separari debet, & ut ad primum redeat, ecclesiasticâ districtione compelli. Quamvis aliter à quibusdam prædecessoribus nostris sit aliquando (c) judicatum.

NOTÆ.

1. (a) *Salernitano.*] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 3. & post Concil. Lateran. p. 6. cap. 8. & in cap. 1. de cognat. spirituali; ubi extat alia pars hujus textus. De dicecesi Salernitana egi in cap. 1. de offic. judic.

(b) *Verbis consuetis.*] Significantibus consensum de præsentibus, juxta tradita supra in cap. de sponsalibus.

2. (c) *Aliquando judicatum.*] Variè hæc verba exponunt Covarr. 2. p. de matrim. cap. 3. §. 3. & 4. Sanchez lib. 4. de legibus, cap. 14. Barb. de jure Eccles. lib. 1. cap. 2. ex num. 61. Sed communior sententia placuit, videlicet aliquos prædecessores Alexandri III. ita judicasse ut privati Doctores, non verò publicè diffiniendo eam sententiam, sed in aliquo casu speciali, non ex cathedra jus proferendo, sed judicando de facto secundum opinionem privatam: nec quomodo illi judicassent, constat, cum in antiquis collectionibus nulla extet epistola, in qua Pontifex decrevit matrimonium ratum solvi per consummatum.

COMMENTARIUM.

3. **I**n hoc textu, & in cap. final. hoc tit. deciditur quæstio satis vexata olim inter Doctores; an videlicet matrimonium ratum primò contractum, dissolveretur per consummatum postea celebratum, & ita secundum valeret. In qua quæstione aliquibus visum fuit, posterius matrimonium consummatum præferri priori rato, illudque dissolvere; forsân moti ex eo, quod matrimonium ratum tantum dissolvitur per matrimonium spirituale, videlicet per ingressum religionis, cap. verum, cap. ex publico, de convers. conjug. & per consequens per matrimonium perfectum, & consummatum. Deinde nam si una, eademque res duabus personis vendatur, si secundo emptori tradatur, illius venditio præferatur, l. quotiens, C. de rei vind. l. si autem, §. si duo, ff. de publiciana, l. si à Titio, 72. ff. de rei vind. l. 2.

C. de except. rei vendite. Quod etiam procedit in re pignori duobus obligata, & secundo tradita, l. portor, §. i. ff. qui portiores. Igitur similiter matrimonio duplici contracto illud præferri debet, in quo corporis traditio intercesserit. Unde in Angliâ, Mutinâ, & aliis provinciis, temporibus Alexandri III. invaluerat, ut matrimonium ratum dissolveretur per secundum consummatum. Facit textus in l. 1. C. de sponsal. ubi docetur, feminas uni desponsatas, aliis nubere non prohiberi. Sed contraria sententia verior est, quam definierunt Alex. III. in hoc textu, & in cap. 4. hoc tit. in collect. in illis verbis: *Vide nos consulit dilectio tua; quid videlicet servandum sit, & tenendum de muliere, quæ cum sit uni viro desponsata, ab alio postea desponsatur, & cognoscitur. Sollicitudini tuæ præsentibus litteris respondemus, quod licet quarundam Ecclesiarum consuetudo habeat, ut cum viro secundo debeat remanere; convenientius tamen videtur, ut si vir & mulier ad ætatem aptam conjugio devenerint, & ita mulier desponsata fuerit, quod vir mulierem in suam, & mulier virum in suum recipiat, licet postea ab alio desponsatur, & cognoscatur, debeat primo restitui. Et cap. 5. eod. tit. & in eadem collectione, sibi: Porro si qui vir & mulier pari consensu contraxerunt matrimonium, & vir eâ incognita aliam duxerit in uxorem, & eam cognoverit, cogendus est secundam dimittere, & ad primam redire: quia quamvis exinde sit diversa quorundam sententia, & non eadem consuetudo Ecclesie; tutius tamen videtur, ut primam habere debeat, quam secundam, cum prima sine judicio Ecclesie separari non debeat postquam cum ea pari voto & consensu matrimonium contraxit. Sanè quamquam mulieri desponsata, & à viro nondum cognita licet ad religionem transire, aliam tamen non potest vir ducere in uxorem. Et in c. 6. in eadem collectione, ibi: Super eo verò, quod ex tuis litteris intelleximus, virum quendam, & mulierem de mandato Domini utriusque sese invicem recepisse, nullo sacerdote præsentem, nec adhibita solemnitate, quam solet Anglicana Ecclesia exhibere; & alium prædictam mulierem ante carnal-*

carnalem commixtionem solemniter duxisse, & cognovisse. Tunc prudentia taliter duximus respondendum, quod si primus vir, & mulier ipsa pari consensu de presenti sese receperint, dicendo unus alteri: Ego te recipio in meum, & ego te recipio in meam, etiamsi non intercesserit illa solennitas, nec vir mulierem carnaliter cognoverit, mulier ipsa primo debet restitui, cum nec potuerit, nec debuerit post talem consensum alii nubere: si vero consensus talis inter eos non intercesserit sub verbis illis, qua diximus, nec carnalis copula, etiam assensu de futuro præcunte, secundo viro, qui eam postea traduxerit atque cognoverit, debet mulier ipsa relinqui, & ab impetratione prioris absolvi, in iunctâ primo viro penitentia de lasione fidei, in violatione iuramenti, si dedit exinde fidem, vel præstitit sacramentum: appellationi autem, si qua super isto casu ab alterutra parte fuerit interposita, nisi appellatur ab eo, cui causa est remota appellatione commissa, est devotioe debitâ deferendum. Innoc. II. in cap. final. hoc titulo. Et merito, nam cum matrimonium de presenti pure celebratum, maneat indissolubile; inde nec per secundum consummatum dirimi potest: quare semper certum fuit, primæ desponsationi per secundam

non potuisse derogari, cap. desponsatam, cap. desponsatas 27. quæst. 2. & licet sponsalia de futuro tollantur per sponsalia de presenti, ut probavi in cap. de sponsalibus, id procedit, quia ex sponsalibus de presenti vinculum fortius nascitur, quod non datur matrimonio rato celebrato, & alio postea contracto, & consummato; siquidem quantum ad indissolubilitatem æqualiter vinculum indissolubile est. Et licet per ingressum religionis matrimonium ratum dissolvatur, id procedit speciali favore religionis, qui non consideratur in matrimonio consummato, immò nec in sacerdotio, ut probavi in d. cap. verum. Nec faciunt etiam exempla venditionis, & pignoris; nam in eis contractibus sequitur traditione potentius jus ex ea resultat, quam ex conventionione, quia realis traditio præcessit; at verò in presenti casu matrimonium ratum perfectè cum traditione celebratur, nec consummatio aliquid novi affert: unde non est in eo quid prævaleat, aut præferatur priori matrimonio. Nec etiam obstat dicta lex 1. Cod. de spons. quæ est accipienda de sponsis de futuro, cum quibus ritè & validè matrimonium celebratur, cap. sicut ex litteris de spons.

CAPUT IV.

Idem. (a) Januensi Episcopo.

TUa fraternitas nos consulit, quid de his agere debeas, qui desponsant aliquas mulieres, & processu temporis, antequam eas ducant, vel cognoscant, accipiunt alias uxores. Super quo utique tuæ consultationi taliter respondemus, quod si vir, & mulier sese recipiunt, expresso consensu mutuo de presenti, neuter eorum altero superstite poterit ad alia vota transire, etsi possit ad monasterium transmigrare. Verum si inter ipsos non accessit consensus mutuus de presenti, sed promissio de futuro, videlicet quod uterque dixit alteri, *Ergo te recipiam in meam, & ego te recipiam in meum*, si alius mulierem illam desponsaverit & traduxerit, etiamsi inter primos iuramentum fuerit, sicut diximus, de futuro, huiusmodi desponsationis intuitu secundum non poterit separari matrimonium, sed eis est de violatione fidei penitentia injungenda. De aliis verò, qui coram te super desponsatione facta per consensum mutuum de presenti controversiam movent, & post ap. quam ante sententiam, vel cognitionem causæ ad Sedem Apostolicam interponunt, ap. pendente accipiunt alias in uxores, hoc arbitramur agendum, ut si amodò in tali casu duxerint appellandum, eis in Ecclesia publicè debes interdicare arctius, ne ante decisionem causæ aliud contrahant matrimonium; & si contra interdictum Ecclesiæ ita publicè factum venire præsumpserint, matrimonium tam præsumptuosè contractum poteris irritare.

NOTÆ.

1. (a) *Januensi.* Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. final. & integram litte-

ram dedi in c. de illis, de despons. impub. De Ecclesia Januensi nonnulla notavi in cap. cum inter, de elect. textumque hunc exponemus infra, in tit. de matrimonio contracto.

CAPUT ULTIMUM.

Idem (a) Mutin. Episcopo.

TUas dudum, &c. De consuetudine quæ diu in Mutin. obtinuit civitate, ut si quis juraret in aliquam, & citra carnis copulam (b) desponsasset, si consequenter desponsasset aliam, & etiam cognovisset, primo cognita adjudicaretur viro, non quæ prius extitit desponsata. *Et infra:* Ne verò turpis sit pars quæ suo non congruit universo, & Ecclesia Mutin. teneat humiliter, & observet quod beati Petri sedem, & suam Metropolitanam

polim sequi viderit, & docere, in matrimoniis de cætero contrahendis illud te volumus observare, ut postquam inter legitimas personas consensus legitimus intervenit de præsentis, qui sufficit in talibus juxta canonicas sanctiones; & si solus defuerit, cætera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur; & si personæ junctæ legitime cum aliis postea de facto contrahant, quod prius de jure factum fuerit, non poterit irritari.

NOTÆ.

1. (a) *Mutin.*] Ita etiam habetur in tertia collectione, sub hoc titulo. cap. unicus. & in cap. ruanis, de usuris, ubi extat alia pars hujus textus. De Mutinensi Ecclesia & Martino ejus Præsule, cui missa est præfens decisio, ego in c. cum in distri-

buendis, de tempor. ordin. & textum hunc exposui supra in cap. 3.

(b) *Desponsasset.*] Ita legendum est, non, *du-*
cturum, ut habetur in hac, 6. collect. & notavit Cujac. in præsentis; nam in hoc textu agitur de sponsa de præsentis ducta; non verò de futuro, ut facile ex ejus serie constat.

2.

~~~~~

## TITULUS V.

## De Conditionibus appositis in desponsatione vel aliis contractibus.

## CAPUT I.

## Ex Concilio (a) Africano.

Quicumque sub conditionis nomine aliquam desponsaverit, & eam postea relinquere voluerit, dicimus quod conditio frangatur, & desponsatio irrefragabiliter teneatur.

## NOTÆ.

1. (a) *Africano.*] Sic etiam legitur in 1. collect. sub hoc tit. c. 1. & in cap. 7. juncto cap. antecedenti 27. q. 2. & post Concil. Lateran. pag. 6. cap. 5. non tamen reperitur hic textus inter canones editos à Justello, sed cum varia fuissent Concilia Africana, quorum meminit Cujac. in cap. 1. de habit. Cleric. credo præsentem canonem editum fuisse in aliquo ex his Conciliis nondum excuso, cum in tot collectionibus Concilio Africano tribuatur; & in cap. 7. 17. q. 2. ita legatur, quod conditio interposita non valeat, ex Concilio Africano probatur.

## COMMENTARIUM.

2. *Conclusio traditur, & probatur.* **V**ulgò ex hoc textu sequens communiter deducitur assertio: Quicumque sub conditionis nomine aliquam desponsaverit, & eam relinquere velit, in super habita conditione matrimonium subsistit. Non est similis decisio in utroque jure quæ probari possit; eam tamen illustrant ultra congestos in præsentis à Barbof. Sanchez de matrim. lib. 5. disp. 12. Covarr. eod. tract. 2. p. cap. 3. num. 12. Basil. eod. tract. lib. 2. cap. 9. num. final. Medrano de consensu connub. cap. 16.

3. *Traditur dubitandi ratio.* Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti juris consideratione: Quod pendet, non est, l. is damnatus 169. §. 1. ff. de reg. jur. Unde Philosophorum axioma est, conditionalia nihil ponere in esse, idest quod pendet sub conditione, non est, nec definit esse. Unde homo emptus sub conditione. D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. IV.

ditione, non potest redhiberi dum pendet conditio; quia non potest rescindi quod adhuc non existit, l. Bovem 43. §. si sub conditione, cum sequent. ff. de adilit. edict. si servo proprio libertas relicta sit sub conditione, legatus verò sit purè, si dies legati cedat pendente conditione, evanescit legatum, quia non existit liber dum pendet conditio, l. questum 91. §. 1. ff. de legatis 1. l. Julianus 86. §. cum verò ff. de condit. & demonstr. l. nam cum libertas 8. ff. quando dies legati; ideo pendente conditione interim hæredis est, l. statuliberi 29. ff. de statuliberis. l. si is servus 20. ff. de donat. inter. Ideoque qui debet sub conditione, ea pendente debitor non est, l. sub conditione 16. ff. de condit. indeb. l. qui promisit 48. eod. titul. docent latè Petrus Faber, Jacob. Gothofr. & alii in d. l. 169. §. 1. ff. de reg. jur. idem Petrus Fab. lib. 2. semestr. cap. 19. cum duobus sequent. Sanchez lib. 5. de matrim. disp. 6. Donellus lib. 8. comment. cap. 3. ubi Osval. littera B. & lib. 15. c. 11. ubi Osvaldus littera A. Fachineus lib. 11. controver. c. 74. Antonius Gomez lib. 2. variar. cap. 11. ubi plures Aylton, Acacius, Ripol. in rubric. de condit. & demonstr. cap. 1. Morla in Emporio Juris, titul. de rebus credit. q. 7. Pichardus & alii in §. ex conditionalis, Instit. de verb. obl. In nuptiis, etiam si sub conditione contractæ sint, adeò nihil actum videtur, ut nec publicæ honestatis impedimentum ex eis nascatur; ideoque si quis cum Maria sub conditione initis sponsalibus, cum consanguinea ejus pendente adhuc conditione de præsentis matrimonium contraxerit, cum secunda manere debebit, cap. unicus. §. final. de despons. impub. in 6. & si quis

K